

tribuit subjectum , cui additur in inferiora vel saltim ea, de quibus dici potest; at vero cum dico: *Homo irrationalis nusquam reperitur*, id nusquam non distribuit subjectum in inferiora, rationem igitur signi non habet.

Th. IV. Signum , à quo tota enunciatio ratione quantitatis accipere debet denominationem , semper spectare debet ad subjectum, ejusque principalem vocem, quæ categorematica est, non verò ad cæteras syncategorematicas. Quando diximus, quòd signum significet, quām latè pars illa enunciationis, citi additur, accipiatur , observandum est , signa tām universalia quām particularia , ut enunciationem reddant vel universalem vel particularem , spectare debere ad subjectum ejusque principalem vocem, quæ categorematica dicitur , alias enim si signum addatur voci syncategorematice sive sit signum universale sive particolare , enunciatio nec universalis nec particularis erit, e. g. hæc enunciatio : *Omnis hominis equus est quadrupes*, universalis non est, quia signum universale non ad vocem categorematicam, sed ad syncategorematicam pertinet. Ubi tamen notandum , quod quando dicimus , signum semper apponendum esse subjecto, eo ipso non negemus , quòd salvâ enunciationis veritate prædicato possit apponi signum , verum enim est, quando dico: *Omnis lapis est nullus homo* , *Omnis homo est aliquid animal*, *Nullus homo est omne animal*, sed ab illō, quod prædicato apponitur , enunciatio ratione quantitatis non accipit denominationem , & nec universalis, nec particularis dicitur. Deinde morendum, quod, licet concedatur, ut ex dictis patet, signum apponi posse prædicato , nihilominus negemus, quod signum